

firmata avertere conati sunt ; cui mox Pon-^{Ann}
 tificii *Ligam Sacram* sive *Catholicam*, Wurtz-^{C.}
 burgi, Duce Maximiliano Bavaro, initam
 opposuerunt. Post in flammis erumpen-
 te diuturno bello Germanico Ecclesiae res
 maximo in periculo per Germaniam ver-
 satae, in Bohemia verò, Moravia, Austria,
 Silesia, Polonia, Hungaria pessumdatae
 prorsus fuerunt. Quanquam in Germa-^{1648.}
 nia Pace Monasteriensi melius se habere ce-
 perint. Interim Ecclesia Pedemontana ^{1655.}
 horribili laniena oppressa ; in Gallia verò
 à Ludov. XIII. variè exagitata, sed à Filio,^{1622.}
 Ludovico XIV. instigatoribus præcipuè
 Jesuitis, qui magnis conatibus in Anglia,
 conspiratione contra Religionem tempe-^{1678.}
 stivè detecta exciderunt, inauditis suppli-
 ciis vexata, atque Edicto Nannetensi pe-^{1685.}
 nitus sublato, fidelibus immisso milite ad
 abjurandam Religionem adactis regno pul-
 sa fuit : Plurimi tamen per immanem
 persecutorum sævitiem ad abnegationem
 compulsi, veram Religionem clandestinis
 congressibus exercere studuerunt ; alii ad ^{1706.}
 præsens hocce tempus, sordidis carceribus
 nauticisque ergastulis inclusi, Deo suo ca-
 stam servant fidem. Sed in ira memor e-
 rit Deus misericordiae suae, tandèmq; Ec-
 clesiam gratiosè liberabit, & æternùm ser-
 vabit per Jesum Christum, Dominum
 nostrum A M E N.

FINIS COMPENDII HISTORIAE SACRAE
 utriusque Testamenti.